



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Anima obsecrat B. V. Mariam vt se matrem erga se ostentat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

diligenter roga vt se matrem tuam
Dei tum tuam esse re ipsa demon-
stret.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

MEDITATIO.

*Anima obsecrat B. Virginem Mariam
vt se matrem erga se esse o-
stendat.*

HActenus, o Mater mi-
sericordiae, rogavi, vt
ope atq; auxilio tuo,
in necessitatib. ac peri-
culis mihi subuenires: nunc au-
tem obsecro atque obtestor te
per pium Matris nomen, vt ea
quae peto mihi digneris conce-
dere. Si nimis importuna sum,
filius tuus id me docuit. Ille na-
que dixit, cum qui ad ostium ve-
nit

Luc. 11.

mi-

mici sui pulsando perseuerauerit, tandem panes quotquot habet necessarios obtenturum esse. Ego non adamicum modò, sed ad te quæ mihi in matrem *Esaie 49* spiritualem data es, venio. Nunquid, ait Deus, obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Tu me spiritualiter per Iesum filium tuum, qui pro me vitam suam tradidit, ac per mortem suam me à morte spirituali, quam peccando incurreram suscitauit, genuisti. Obsecro igitur vt vota & preces meas suscipias, & tuis illas precibus iungens diuino conspectui offeras. Extremum illorù qui in marinis periculis versantur per fugium est oratio. In eodem discrimine cum constituta sim, ad preces confugio. Sed quem effectum habebunt illæ, si tuis orationibus sociatæ non fuerint

*Psalm. 2.**Hebr. 3.*

rint? Largire igitur ô pia mater,
 largire illis virtutem & effica-
 ciam. Ille ad quem preces fun-
 do non est Tyrannus ferox &
 inhumanus, sed pijsissimus &
 clementissimus Dominus: De-
 us inquam, qui mei misericor-
 dia motus, nasci & mortem sub-
 ire voluit. Erat ille sempiter-
 ni patris filius per generatio-
 nem æternam: in bonitate, in
 sapientia, in potentia Patriæ-
 qualis: & nihilosecius huma-
 nam carnem in vtero tuo vir-
 gineo assumere dignatus est, ut
 filius tuus efficeretur. Si au-
 tem filius tuus est, vti reuera
 est, monstra te esse matrem il-
 lius, ostende qua in illum pol-
 leas authoritate ad filiorum tu-
 orum spiritualium vtilitatem
 & profectum: qui sicut tu ipsa
 certius nosti, in magno discrimi-
 ne versantur, ne fluctibus
 huius

huius maris, mundi videlicet,
 opprimantur. Apostoli cum
 in similibus fluctibus de vita pe-
 riclitarentur, ad magistrum su-
 um filium tuum confugerunt
 dicentes: *Magister, non ad te per-* *Matt. 9.*
tinet quia perimus? Quasi dice-
 rent: Nunquid Magister cu-
 ram non habet discipulorum
 suorum. Filij tui, ô sacra Vir-
 go, in simili casu ad te accur-
 runt orantes: *Mater non ad te* *Mate. 4.*
pertinet quia nos filij tui perimus?
 Intercede igitur pro nobis, ô
 virgo pia & clemens, atque
 te matrem Salvatoris &
 nostram esse demon-
 stra.

MON.